



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per
Aphorismos Strictim Explicatum**

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Censibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

poteſt mutari. c. 33. monaſterium. c. 34, rationis. 16.
qu. 7.

Patrono debetur præcessionis honos. d. c. nobis. 25.
§. fin. d. c. 26. piamentis. d. c. 27. Frigentius. in fin.

Primus enim & eximius in ordine locus, in confeſſu vel
processu, patrono inter Clericos ejusdem Ecclesiæ debe-
tur. d. c. nobis. 25.

Cessat jus patronatus: Si patronus jus suum Ecclesiæ
contulerit; Si Ecclesiæ sine reservatione juri's compe-
tentis patiatur fieri collegiatam; Si ædes sacræ igne, ter-
ræ motu, aut alio vitio, interierint; Si Ecclesia ab infi-
delibus occupetur; Si patronus sit hæreticus. c. vergen-
tis. 10. de hæretic.

De censibus.

TIT. XXXIV.

Patronus à præsentato nihil potest exigere temporaſe,
niſi censum, quem cum consensu Episcopi conſtat in
ipſa fundatione eſſe impositum. c. præterea. 23. de jure
patron. c. ſicut. 2. de ſuppl. negl. prælat. c. 31. filiis. 16.
qu. 7.

Census, eſt annua penſio, c. 16. jubemus. in fin. 16. qu. 3.
quæ in argumentum ſubjectionis præſtatur. c. 2. hic.

Accipitur duobus modis: vel generaliter; pro omni
penſione, quæ Prælatiſ de Ecclesiasticis proventibus ſin-
gulis annis præſtatur: c. olim cauſam. 20. c. cum canoni-
cis. 26. hic. c. 4. quaſitum. 1. qu. 3. vel ſpecialiter; pro ea
penſione, quæ Episcopo ab Ecclesiis in argumentum ſub-
jectionis tribuitur; Cathedricum, eò quod ob honorem
Cathedralæ ſolvatur, diēta. c. 3. 10. qu. 1. & c. conque-
rente. 16. de offic. ordin.

Conſtituere censum novum, veterem augere, ex ju-
ſta cauſa potest Episcopus, cum consensu Capituli; Clem.
fin. de reb. Ecclef. non alien. c. 1. hic. in 6. aut Ecclesiæ,
cui imponitur, ſi collegiata: c. 1. de rer. permuat.

I

Novum

ARN. CÖRV. JUR. CAN. Lib. II.

Novum Patronus, auctoritate Episcopi. c. præterea. 4. de jure patron.

Constitui potest in rebus ad Ecclesiam pertinentibus, quæ fructus & redditus ex se producere aptæ sunt; & non tantum in nummis, sed etiam frumento, vino, oleo, capis, gallis, pullastris, & aliis id genus annuis. c. cum canonicis. 26. c. ex parte. 18. hic.

Debet esse moderatus; ut non majorem tertiam partem beneficii deducat: id est, ut quantitas fructuum, quæ ex beneficio in pensionem detrahitur, tertiae partis redditus beneficii onerati summam non excedat: ut post eum solutum tantum beneficiario remaneat, unde commodè possit vivere, jura Episcopalia solvere, beneficii onera ferre. c. de monachis. 12. c. vacante. 26. c. cum causam. 36. de prabend. c. 1. hic.

Constituitur vel tempore fundationis, aut donationis, ob remunerationem; vel tempore consecrationis, aut immunitatis indulta, in signum subjectionis.

Censu constituto, nascitur obligatio; cuius vigore census debetur, & rerum censualium annua perceptio.

Censum qui debet, si neget, actio nascitur in factum, aut interdictum recuperandæ vel retinendæ possessionis. Specul. de censib. §. 1.

De exactiōibus.

T I T. XXXV.

Censu valde affines sunt, *Exactio, Procuratio, Canonica portio.*

Exactio, hoc loco; vocatur gravamen, quod extra ordinem, ratione personæ, facultatum, negotii, vel alterius cuiusdam rei gratiâ ex justa causa imponitur.

Fieri debet rei licitæ modo, & lege vel consuetudine permisso. c. ea qua. 12. c. innovamus. 10. de censib. & exactiō.

Modum si Exactores excedant, officio privantur. d. c. ea qua.